

**II. Secreta** seu soli sacerdoti facta. Haec condicio est de praecepto quoad sacerdotem qui tenetur ad secretum servandum (n. 382), neque publicam confessionem imponere potest. Poenitentem vero nulla urget lex divina vel humana ut secreto confiteatur. Attamen, propter Ecclesiae consuetudinem, non careret culpa qui, sine ulla occasione vel causa rationabili, vellet alio modo sacramentaliter confiteri; at, si id fiat ob necessitatem, nulla erit culpa. (Suar. l. c. sect. 2)

**III. Vera.** Hoc requiritur essentialiter in materia substantiali et necessaria, quia alias in re gravi deciperetur iudex, neque esset confessio integra, ideoque irrita. Non tamen in materia libera: tum quia falsitas signi in accusatione circa materiam accessoriam non facit sententiam irritam; tum quia talis tantum peccat venialiter, cum non sit graviter injurius sacerdoti nec sacramento. (Bus. ap. S. Alph. n. 495) Hinc:

1<sup>o</sup> Non peccat mortaliter qui in confessione mentitur circa res non pertinentes aut non necessarias ad sacramentum, ex. gr. narrando historiam falsam, vel qui se falso de aliquo veniali accusat. Manifestum est peccatum graviter qui, in hoc posteriore casu, nullum aliud peccatum accusaret: sed vix id fieri poterit.

2<sup>o</sup> Sacrilegam confessionem instituit qui mortale, quod confiteri tenetur, sciens volens negat vel tegit ne intellegatur; — qui mortale sibi falso imponit, nisi, ut plerumque contingit, id faciat animo perturbato, ad majorem securitatem habendam: quod saepe qualibet culpa vacat; — qui negat vel mentitur circa peccata alias absoluta, ubi confessarius de iis aliquid interrogat quod gravis sit momenti et necessarium scitu ut confessarius, in praesenti confessione, munus suum rite exercere valeat, puta de consuetudine peccandi. Ratio in duobus prioribus casibus est: tali mendacio variari in re gravi iudicium confessarii; in tertio casu: sic impediri confessarium quominus exercent munus medici quo fungi debet. (n. 286)

Per se non est illicitum quod quis habeat duos confessarios, quorum alteri prius confiteatur mortalia, alteri postea sola venialia. Licet enim alter confessarius erraturus sit, existimans poenitentem haec tantum peccata ab ultima confessione admisisse, nullo tamen mendacio haec deceptio procuratur. Graviter peccaret is tantum qui ab uno ad alterum tenderet ut liberius peccaret, neque a proxima peccandi occasione arceretur. Laudabilis vero foret qui subinde ad alium confessarium tenderet, quando in graviora prolapsus est, ne sacrilege peccatum prae pudore reticeret. (Lugo, disp. 16. n. 57; Bus. ap. S. Alph. n. 471)

**QUAER.** Num poenitens teneatur ad distincte accusanda peccata quae confessario jam aliunde extra-sacramentaliter nota sint, puta e

narratione ipsius poenitentis, propria experientia, etc. an sufficiat ei se universim accusare de peccatis illis quae aliunde confessarius norit.

**RESP.** Haec generalis accusatio certe sufficit quando confessarius distinctam horum peccatorum memoriam servat; ubi vero manet eidem memoria confusa tantum, puta dum recordatur sibi narrata esse multa peccata contra castitatem et religionem, quamvis de numero et speciebus multa exciderint, utrumque probabiliter controvertitur. Censet S. Alph. (n. 502) tunc requiri distinctam accusationem: quia secus peccata non accusarentur singillatim, ut vult Trid. jubens omnia et singula peccata in confessione sacramentali explicari. Verum Lugo (disp. 16. n. 638), Ball. R. (n. 468 seqq.) alique opinantur sufficere accusationem illam generalem: quia ita habet usus universaliter receptus, qui nulla lege erroneus esse convincitur. Nam nullibi in Trid. leguntur ea verba quibus innititur S. Alphonsus. Aequivalenter autem habetur accusatio sacramentalis distincta, quatenus "posterior accusatio, relata ad memoriam quam habet confessarius de illis peccatis distincte prius auditis, fit sufficiens notitia, qualis in confessione desideratur." (Lugo, l. c.) Hi tamen supponunt confessarium dirigi illa notitia confusa, quae ei maneat e priore cognitione distincta, non autem quae ei tantum a poenitente suppeditetur: nam, in hac altera hypothese, nihil referret praecessisse distinctam cognitionem. Cavendum quoque ne, ob illam confusam tantum memoriam hic et nunc remanentem, omittantur partes notabiles muneris confessarii, puta monere de obligatione relinquendi proximas peccati occasiones.

Ex his quae modo exposita sunt liquet minime requiri ut confessarius distinctam notitiam peccatorum servet usque ad absolutionem, seu haec statim confessionem sequitur, seu ob aliquam causam differtur.

### § 3. DE ITERATIONE CONFESIONIS INVALIDAE.

#### Punctum I. De iteratione et confessione generali necessaria. (1)

**305. I.** Numquam datur stricta obligatio iterandi confessionem nisi moraliter certo constet eam fuisse invalidam. In dubio enim standum est pro valore actus (S. Alph. n. 505) Nec timendum de salute illius, qui forte invalidam confessionem bona fide non iteraret: nam statum gratiae recuperabit probabilius cum attritus ad S. Communionem

(1) Cum generalis confessio nihil aliud sit quam plurium confessionum iteratio, simul de utraque, brevitate causa, agemus.



accedet (n. 130), et certo cum novam confessionem formaliter integram rite instituet.

Valet eadem regula, ob paritatem rationis, de iteranda accusatione alicujus particularis peccati quod non fuisset valide accusatum.

**II. Defectus** quibus confessio invalida fiat seu effectu suo careat, provenire possunt ex parte vel confessarii vel poenitentis. (Bus. ap. S. Alph. n. 498)

Sunt autem **ex parte confessarii** :

1° Si jurisdictionem habet nullam (n. 324) vel impeditam per censuram : quod tamen unice contingit in excommunicato vitando. (n. 583)

2° Si formam substantialiter vitiavit, vel non intendit facere quod Christus instituit. (n. 111, II)

Addit Bus. (l. c.) : si confessarius peccatum nullum intellexit. Profecto si confessarius, ob surditatem, somnum vel distractionem, aliqua peccata non intellexerit, idem est ac si dicta non fuissent, ideoque, si sunt mortalia, repetantur necesse est. Proinde si nulla intellexit, omnia sunt repetenda. Videtur tamen in hoc casu valere absolutio, utpote data post confessionem genericam bona fide peractam, ut supponimus. (n. 262) Si vero, finita confessione, poenitens intellegeret aliqua peccata non fuisse a confessario percepta, nesciret tamen quaenam in specie, nulla daretur obligatio repetendi confessionem, quae satis prolixa fuisset : nam, cum pleraque peccata certo fuerint intellecta, de singulis habetur opinio probabilis, illa fuisse jam rite accusata. Maneret tantum obligatio confitendi haec peccata in communi : quod fiet manifestando confessario firmam persuasionem vel dubium de quibusdam peccatis ab ipso non perceptis. Confessio vero brevis repetenda foret : qui enim, hac peracta, intellegit quaedam a confessario non esse percepta, nequit de singulis habere probabilitatem ea fuisse rite accusata. (Ball. P. n. 461)

Praeterea quidam addunt : si confessarius indoctus non potuit discernere mortalia a venialibus, vel species et numerum. Sed communius tenent DD. (S. Alph. n. 500) : tunc valere confessionem, eo quod talis error vel inscitia confessarii nihil aufert ex iis quae ad valorem ejus requiruntur.

Sunt iidem defectus **ex parte poenitentis** :

1° Si est excommunicatus, et mala fide accedit ad confessarium a quo nequeat a censura absolvi. Cfr. n. 582.

2° Si mortale tacuit vel de eo se falso accusavit. (n. 304, III)

3° Si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia. (n. 303)

4° Si caruit attritione et proposito. Hoc sane contingit si quis fraudulentè quaerit confessarium surdastrum, ne peccata manifestare debeat,

sicut ea existimat e lege Christi manifestanda esse, vel confessarium indoctum, ne moneatur de gravibus quibusdam obligationibus suis. Censet S. Alph. (n. 505) idem dicendum de recidivis, qui post confessiones suas ut plurimum cito et sine aliqua resistentia iterum in peccata gravia cadunt : quod iudicium, quatenus temperandum videatur, patebit e dicendis n. 370.

5° Si peccatum carnale confessus est suo complici. (n. 351 seqq.) (1)

**306. III.** Confessio invalida integre repetenda est quando poenitens *alium confessarium adit*. Is enim de peccatis invalide confessis iudicare debet : quod prudenter facere nequit si numquam distinctam illorum notitiam habuit.

Si vero *ad eundem confessarium reditur* isque recordatur vel peccata vel statum poenitentis vel poenitentiam a se impositam, communiter docent AA. (Lugo, disp. 16. n. 627 : S. Alph. n. 502) sufficere ut uno verbo se accuset de omnibus quae prius dixerat, addendo, si quae sunt, nova peccata vel peccatum in illa confessione forte omissum. Quodsi nec poenitentiae injunctae recordatur confessarius, sed tantum se poenitentiam injunxisse, S. Alph. (l. c.) opinatur repetendam esse distinctam confessionem : eo quod sacerdos, dum sen-

(1) Utrum frequenter an raro occurrant poenitentes quibus generalis confessio necessaria sit, quaestio facti est, quae unica regula definiri nequeat. Non enim in omnibus temporibus et locis eadem vi pollent duo illa vitia e quibus potissimum manant confessiones invalidae, vid. pravus pudor, quo peccata occultantur, et defectus timoris Dei, quo fit ut homo sine congrua contritione et proposito ad sacramenta accedat. Haec enim notabiliter augeri vel minui possunt pro indole cujusque populi, pro vario gradu scientiae vel praxis religiosae, prout mores vigentes impellunt ad confessionem adeundam vel omittendam, etc. Insuper frequentia confessionum sacrilegarum plurimum crescit ubi multi adire nequeunt nisi unum vel paucos sacerdotes sibi notissimos, praecipue si iidem confessarii ob vitam suam tepidam parum aestimantur, graviorum peccatorum reos acriter objurgant vel de interrogandis poenitentibus nihil curant. Eadem frequentia multum minuetur ubi copia est confessariorum, qui a poenitentibus ob vitae sanctitatem magni fiant eosque benigne tractent seduloque interrogent. Quare non sunt omnibus temporibus et locis applicanda quae sancti doctique viri, ut S. Alphonsus (Instr. de Missionibus, op. t. 15. p. 237 seqq.), de frequentia sacrilegarum confessionum ob pravum pudorem scribunt. Ita, in Belgio nostro, ob copiam bonorum confessariorum, ob facilitatem qua plerique ruricolae adeunt civitates, ob consuetudinem Statutis Synodalibus commendatam crebro procurandi paroecianis ignotos confessarios, etc., non putamus hoc malum tam late sparsum esse quam id de aliis regionibus, etiam nostris temporibus, viri quidam missionibus exercitati conqueruntur. Cfr. Zelle, S. J. *La confession d'après les grands maîtres*, l. 1. Ubique tamen malum istud serpere et non raro animas sacrilegiis foedare indubium est : nullibi enim plene tolli possunt causae e quibus oriri solet.



tentiam profert, debet efformare iudicium saltem de statu conscientiae poenitentis. Alii tamen, ut Lugo (l. c. n. 636) et Ball. P. (n. 472), probabiliter censent etiam tunc sufficere eandem accusationem generalem, dummodo prior confessio fuerit sacramentalis seu ex se apta ad sacramentum faciendum, licet effectu caruerit ob defectum doloris vel sinceritatis. Nam videtur sufficere ut sacerdos sciat se de iis peccatis antea iudicasse, et quidem statuere poenitentem absolvendum esse. Neque apparet in hoc casu minorem notitiam confusam de statu poenitentis haberi quam ubi meminit confessarius qualem poenitentiam imposuerit : quam memoriam S. Alph. assignat ut rationem, ob quam distinctam repetitionem exigere non teneatur confessarius poenitentiae memor.

**307. IV.** Homines indocti qui bona fide confessi sunt peccata sua non expressis distincte numero vel speciebus, neque amplius a confessario interrogati sunt, non sunt obligandi ab aliis confessariis ut eas confessiones repetant. Nam, cum soleant habere vitam uniformem, prudens confessarius facile e confessione unius anni poterit conjicere quantum in praecedentibus annis peccaverint, et ita distinctum iudicium efformare. (Salmant. de Poenit. c. 12. n. 27) Nihil ergo amplius requiritur quam ut poenitens qui talem defectum integritatis admisisse deprehendatur (quod sane raro fiet), jubeatur se accusare de omnibus peccatis quae annis praecedentibus commiserit. Consentit quoque Lugo (disp. 16. n. 578), saltem dum rusticus manet in eadem impotentia explicandi melius suum statum. Contradicit quidem S. Alph. (n. 504) in casu quo confessarius e confessione praesenti habeat tantum confusam notitiam de culpa confessis, ut saepius accidit in confessionibus longioribus et implicatis. Sed reapse in praxi plerumque nihil distinctius ex huiusmodi hominibus elici posset. Adde paritatem cum peccatis quae ut dubia accusata fuere, postea autem ut certa innotescunt. (n. 291, VI)

**V.** Si quis culpabiliter peccatum grave reticuit et postea, huius sacrilegae confessionis immemor, pluries ad sacramenta accessit, non tenetur ad repetendas confessiones intermedias si quidem potuerunt esse validae et fructuosae. Quod ut dignoscat confessarius, interroget poenitentem utrum in his intermediis confessionibus et communionibus semper memor fuerit sacrilegii sui, an tranquillo animo ad sacramenta accesserit. (Lugo, disp. 16. n. 599 ; La Croix, l. 6. p. 2. n. 1224)

**308. VI.** Quando aliqua confessio generalis ex obligatione facienda est ob confessiones moraliter certo invalidas, juvat sequentia in praxi tenere :

1° Imprimis interrogetur poenitens quam ob causam confessiones

irritas fecerit : nam, sublato hoc praecipuo obice, reliqua facilius procedent.

2° Generatim sinat confessarius poenitentem ea exponere quae sponte recordatur. Ita enim melius jam hominem cognoscens, discernere poterit quaeenam potissimum quaestiones ipsi sint proponendae. Quandoque tamen, ut petenti mos geratur, statim eum confessarius interroget.

3° In interrogationibus faciendis sequatur confessarius ordinem qui ipsis poenitentibus ad sese examinandos proponi solet : scil. percurrat delicta maxime obvia et pro aetate, condicione, etc. poenitentis saepius committi solita, contra praecepta Dei et Ecclesiae, obligationes speciales status et virtutes quibus opponuntur vitia capitalia. Supervacaneum ducimus hic longum horum peccatorum catalogum addere : nam quae practice petere juvat, confessarius mediocriter doctus facile reperiet. Huiusmodi catalogum videsis apud La Croix (l. 6. p. 2. n. 1883 seqq.), Lehm. (II. n. 351), Gury (II. n. 520), etc. Cfr. n. 361.

Confessio generalis instituenda apud eundem confessarium, apud quem factae sunt confessiones invalidae, facillima foret ex supra dictis n. 306.

#### Punctum II. De iteratione et confessione generali libera.

**309. I.** Confessio generalis suadenda est poenitentibus, qui rationaliter dubitant de valore confessionum praeteritarum : nam, licet tunc nulla adsit stricta obligatio (n. 305, I), plerumque expediet ad animi pacem. Excipe scrupulosos et meticulosos, quibus potius interdicenda est, cum experientia constet hac ratione augeri eorum anxietates, nedum minuantur.

**II.** Etiam illis qui nullo probabili dubio de valore praeteritarum confessionum anguntur, confessio generalis utilissima esse potest. Nam, ut loquitur Bened. XIV (Const. *Apostolica*, 26 Jun. 1749) : " Ita universa vita ratio animo obversatur : ex quo hominis timor ac humilitas, major in peccatum horror insurgit ; augentur vires, ut quidquid ad malum provocat, propulsetur ; jucundissima pax et tranquillitas animo accedit : et quae praeteritis confessionibus illata sunt damna sarcuntur. „ Hae tamen utilitates plerumque non obtinebuntur, nisi homo se peculiari diligentia ad confessionem generalem praeparaverit, ut patet tum e rei natura, tum ex optimorum ascetarum doctrina. Sic S. Ignatius, in aureo libello *Exerc. Spiritualium*, dum utilitates confessionis generalis recenset, clare significat eas potissimum oriri e meditationibus de fine hominis, de peccatis etc. quae eidem praemittantur. Quare com-



mendanda est praesertim iis qui, spiritualis secessus vel missionis exercitiis, ad eam magno fervore et cura instituendam parati sunt : nam, si perfunctorie obitur, vix ullum commodum affert.

Communiter autem haec utilitas ab AA. ita explicatur ut, semel facta, saltem in matura aetate, generali vitae totius confessione, non expediat plerumque eam iterare. Attamen in argumento quod totum meri consilii est, regula absoluta dari nequit. Quare, si poenitens ad scrupulos nullatenus propensus et altioris perfectionis studiosus eam iterare vellet, posset prudens confessarius ipsius votis obsecundare. Omnibus vero qui tranquilla sunt conscientia expedit identidem facere generalem confessionem ab ultima quam peregerint incipiendam, praesertim ubi novum statum, puta sacerdotalem vel religiosum, praemissa speciali praeparatione, aggressuri sunt.

**310. III.** In suadenda vel permittenda generali confessione juvat prae oculis habere sequentia monita :

1° Cavere debent confessarii ne poenitentibus obrudant confessionem generalem, quando non est manifeste necessaria : nam, nisi libenter instituat, vix prodesse potest. Prorsus autem carpenti sunt qui eam postulant a quolibet novo poenitente suo : quasi ad eum rite dirigendum necessarium foret peccata jam prorsus extirpata cognoscere, neque sufficiens notitia e confessionibus mox instituendis hauriri posset.

2° Si poenitens manifestat generalis confessionis instituendae desiderium vel anxietatem circa praeteritas confessiones, cavere debet confessarius a duobus excessibus extreme oppositis. Alter in eo foret ut statim poenitenti os clauderet, quasi de mero scrupulo ageretur : nam, nisi poenitens reapse ut scrupulosus notus foret, confessarius incurreret periculum impediendi manifestationem hujus animae saluti necessariam, siquidem non ita raro occurrunt sacrilegarum confessionum rei. (n. 305. nota) In alterum excessum caderet confessarius qui statim poenitentem ignotum ad confessionem generalem admitteret vel incitaret : nam forsitan labor ille plane otiosus vel etiam noxius erit. Praestabit ergo ab ignoto poenitente inquirere num jam antea confessionem generalem instituerit vel idem ab ordinario confessario suo petierit. Si, responso accepto, dubia manet generalis confessionis necessitas vel utilitas, plerumque juvabit eam differre donec poenitens novo confessario melius sit perspectus.

3° Tempore missionis potest utiliter suaderi ut confessio generalis ab omnibus qui scrupulosi non sunt instituat, quemadmodum Bened. XIV (Const. cit.) jussit facere missionarios qui populum ad lucrandum jubilaum anni 1750 paraturi erant. Sedulo tamen cavendum ne hujusmodi praxis tamquam communiter necessaria proponatur, praesertim iis qui

jam alias generaliter confessi sint : sic enim in animabus piorum fidelium magna excitaretur anxietas, quam confessarii multis conatibus vix aut ne vix quidem sedarent.

**IV.** De ratione excipiendi generales confessiones liberas adverte :

1° Confessarius poenitentem minus doctum moneat nullam strictam obligationem esse ut omnia et singula peccata jam rite confessa repetat, neque ullam anxietatem concipiendam esse si quod hujusmodi peccatum oblitus fuerit vel sponte tacuerit.

2° Sinat poenitentem dicere ea quae novit et vult accusare. Nisi is sponte petat ut interrogetur, juvat ab interrogationibus abstinere, praesertim circa peccata magis pudenda : nam, cum poenitens ista reticere possit et forte malit, non est cur inutiliter et saepe cum poenitentis incommodo extorqueantur.

3° Multi qui confessionis generalis instituendae copiam petunt (puta matrimonium initari), id tantum intendunt ut praecipua quaedam peccata e vita sua praeterita iterare possint : qui prorsus inviti essent, si confessarius interrogando veram confessionem generalem eis extorquere conaretur. Ex altera vero parte cavendum est ne quidam impediatur a confessione sua integre peragenda prout eam paraverint : quod potius ad turbandam quam ad sedandam ipsorum conscientiam conduceret. In hoc casu verum est quod monet Lehmkuhl (II. n. 346) : praestare ut confessarius non admittat confessionem generalem, cui excipiendae debitum tempus impendere nequeat aut nolit.

### CAPUT III.

#### DE SATISFACTIONE.

##### § I. OFFICIUM ET POTESTAS CONFESSARII CIRCA SATISFACTIONEM SACRAMENTALEM.

**311. I.** Confessarius regulariter **aliquam poenitentiam** imponere debet, qua satisfiat debito poenae quae saepe, remissa culpa, remanet luenda. Nempe satisfactio tertius est ex actibus poenitentis, qui a Trid. (Sess. 14. c. 3) dicuntur *quasi materia* hujus sacramenti, " quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam pec-